57) D. Martino Luthero Otho Pack.

cf. Walch XVI 520. Burkhard Briefw. Luth. S. 156. J. 7, 98

Salvus sis mi charissime Martine in Domino nostro Jesu Christo. Legi nuper Georgii Principis Tragoediam vel invectivam potius, ac demum tuam responsionem quae mihi et multis bonis maximè placuit. Quid enim non efficit Sathan, homines non tantum apertis oculis coecutire, sed etiam cum ratione insanire: sic solet suis imponere. Tu autem brevi videbis apertam et genuinam veritatem atque simul meam innocentiam. Ego nunquam duxi in animum (: postquam coepit mihi splendere evangelica veritas:) sanum ut hominem deciperem, taceo quod tantam seditionem in toto Christianismo moverem. Pacare volui impiorum iram (: Deum opt. testor:) non irritare, seditiones paratas detegere non seminare, pios admonere, cautiones facere, nunquam in bellum aut tumultum attendere volui. Quod autem res aliò quam volueram processit, divinae voluntati permitto. Mihi autem meaeque constantiae omninò est satisfactum, quod mea infamia, maximaque omnium rerum humanarum jactura (: nam nihil praeter conscientiam meam illaesam habeo:) tot bonos piosque homines conservaverim. Coetera ex tabellario isto homine probo et sacrarum literarum studiosissimo accipies. Vale atque me ama. Vale in Christo cum tota domo tua. Date Cassellae 23. Januarij 1528.

Tuus
Otho à Pack Doct.

Inscriptio
Reverendo patri Domino Martino Luthero Divini verbi buccinatori, amico sanctissimo.

58) Oecolampadius ad Phil. Melanchtonem.

Gratia et pax à Christo. Magis absentem literis interpellare tuam humanitatem Melanchton ornatissime

haetenus

hactenus non sum veritus, sed pristinam familiaritatis
necessitudinem, qualibuscunque tandem epistolarum certè
amicarum, si non eruditarum officiis conservare studui.
Quanto magis mihi temperare non possum quin propio-
rem insalutatum non relinquam, et profectò id coram
facerem, si quidem vel pericula non prohiberent, vel
ab Ecclesia commodè abesse possem. Nihil n. tuo collo-
quio in terris gratius, optatius evenire posset, multis certè
nominibus sed hoc potissimum, ut de rebus Ecclesiae fideli-
ter tecum agerem, si possint è medio tolli schismata
quaedam nuper, non dico à quibus invecta. Tum sanè
jucundum mihi foret ex hac vita migrare, id quod
opinor ex variis meis literis accepisti, nisi fortè malo
infortunio nullae ad te pervenerint, quod auspicari
licet ex perpetuo silentio tuo, nondum enim ausim
insimulare te, quem cuncti mansueto Christi spiritu
praeditum testantur, ita surrexisse supercilium, ut
λίτας familiarium, inauditus sinè responso dimittas.
Itaque satis mirari non possum, optima quaeque de te mihi
polliceor, et ne verbo quidem quidem spes fovetur, merear
tandem id gratiae, ut sciam te amicitiae renunciasse.
et quo pacto id facies, nisi et Christo valedicas, qui et
ipse mihi κεῖται: Persuasum enim mihi nullum ex
membris illius, qui illum verum et Deum et hominem
fatentur, ac credunt, beneque erga omnes ea fide
conspicuos affecti sunt, ab aliis membris, quae idem
spiritus vegetat, abjici posse. Neque in hoc falli potero,
utcunque fratrum imbecillitas officii sui interim parum
memor est; non ignoramus hic, quae ὁ τέκτων τοῦ
Ἀντιχρίστου ὁ πρόδρομος ἀλλὰ παρόντος κυρίου fabri-
cat Philippica i. de Macedone inquam, non de te nostro
vero candido i. fraude, ut nobis primum negotium faciat,
quod deinde et vos quoque invadat. Sed ante oculos penna-
torum frustra projicit retia, equidem non mediocra
coelestis

coelestis patris benevolentiæ judicium censeo, quod et tu in hoc præclaro Principum Germaniæ conventu amicis et piis suggerere valeas ea quæ pacis et quæ in gloriam Christi. proscribi cupit nescio quos sacramentarios, scilicet illi fidei sinceritas cordi est, et hoc pacto concordiæ consulit, si crassius et loqui et sentire περὶ τῶν μυστηρίων, quam par est, inculcarit; interim crepat multas sycophantias, quasi nobis sit figurata ac phantasma non veritas Christi, quasi imbecillis non omnipotens Christus, quasi unum angulum occupans et non ubique sit ac portet omnia verbo virtutis suæ. Belle scilicet, si distinctius de natura unius naturæ ἐν ἀλλικοτρόπως dicere volui, explicem, id est, sicut quod personæ, loquimur, idcirco alterum negare videamur etsi divinitatem negamus passam in sua natura, ideo cogamur negare etiam Christum deum passum, etsi non asseramus, corpoream Christi dimensionem et quantitatem non esse ubique locorum, ideo inficiamur Christum, qui humana, quæ semel assumsit, dereliquit, non esse ubique locorum, non esse inter duos et tres in suo nomine congregatos, non esse in fidelium cordibus. Tales audio istic nostræ fidei interpretes ac calumniatores haberi. At te oro per Christum ut maledicorum effrenem licentiam, quatenus licet, removeris, indicando, non eo pertingere sermones nostros, imo hoc addere tuto poteris, neutiquam nos boni consulere, si quis dicat uti Judam et peius nos communem panem vel solum sacramentum edere. χάριν γὰρ τῶν ἄρτον μετὰ τῶν συμβόλων ὅμως δίδωσιν τε καὶ λαμβάνομεν ὥσπερ οἱ πιστοὶ γεγυμνασμένα αἰσθητήρια ἔχοντες et plane contumelia affici apostolos semper diximus, si quis super eos solam igneam linguam et signum spiritus consedisse dicat, negans interim vere participes gratiarum spiritus s. quamvis neququam sentire potuerimus igneam linguam esse substantive spiritum sanctum, sicut neque flatum; nec dubito quin idem et vos cathalice affirmetis. Quid igitur hic tantum controversiarum

troversiarum, unde hoc iterum volui tibi indicata, ut
ostendere possis quibusdam, si ponant contentiones,
non deesse viam, qua concordia paretur Ecclesiis, atque
istis anathematismis, exsibilationibus atque fulmina-
tionibus nihil proficitur. Interea tamen Deus suos
non relinquit: porro de statu Ecclesiæ Basiliensium Rumor
cuncta nunciat, tametsi pleraque vanius, et una
re gloriamur ablatam discordem Christi prædicationem,
et quod Magistratus totus in hoc est, ut juxta verbum
Christi quam purissime sua plebs vivat, quicquid alii
mugantur. Certe non est illis integrum expectari ge-
nerale illud concilium, ut interim conniveant ad
plurimorum impietatem, laborant item ut gymnasia
instaurent, literæque bonæ cum pietate plantentur.
Vale. Basileæ pridie Calendas Aprilis 1529.

Œcolampadius.

59/ Gedruckt in: Fortgesetzte Sammlung v. alten u. neuen theol. Sachen 1745 S. 316

[Joh. Bugenhagen]

D. Martino Luthero J. B. Pomeranus.

Gratiam Dei per Christum. Jam ter scripsi ad te mi Pater,
precor autem ut omnes ad me per hunc tabellionem
scribatis, quisquis quid norit mea referre, ut sciam. Popu-
lus hic jam ad summam redüt concordiam. Ordinatio
mea antehac Senatui oblata, hodie offeretur populo, ut
videatur, si quid in ea hic incommodum forte visum
fuerit, ~~quibusdam non videtur consultum~~ postea edetur.
Vos non desinite orare pro nobis, nos hic et privatim
et publice pro vobis oramus et pro pace Germaniæ. De
profectione in Frisiam consulite quid vobis visum
fuerit, quibusdam non videtur consultum, ut illo abe-
am; Cœpi autem per literas et tractatus missos rem
agere, et si Comes urserit, curabo ut, si fieri possit,
per alios contentiosum negotium agatur. Agnosco
plus satis temporis mei jam transiisse, et Comes
prius ad comitia principum vult abire. Cupio vos
videre, invicta necessitas Evangelii adhuc me hic
continet

Gedruckt in Weimarer Luther-Ausg., Briefe, Bd. 5, S. 33. [Original in Hamburg SUB].